de Antid. ſect. 1. cap. 37. 38. leguntur & Myrepſicum: quarum alteram hic Galeno adſcribit, reclamante tamẽ Fuchſio. Quæ certè cauſſa eſt, cur margaritæ, à multis ſæculis cognitæ, à poſterioribus quoq; Græcæ medicinæ ſequacibus non fuerint neglectæ. Corallij etiã Langius, præeunte Dioſcoride, mentionem facit: adſtringere, refrigerare, ſanguinis excreationes coërcere, oculorum cicatrices exterere, ſtomachum languidum roborare, dyſenteriam reprimere: quod ipſe felici ſucceſſu expertus ſit. Quibus non repugnant antiqui, Aeginetha, Trallianus, Oribaſius, & alij. Eius quidem in ſimplicium medicamentorum recenſione nõ memor eſt Galenus. At, qui tanti fecit Dioſcoridẽ, vel apud ipſum id cognouiſſe, & approbaſſe videri poteſt: inprimis cùm alibi componat remedia, initianti phtiſi, hæmoptoi, & empyis ex aduerſo poſita, quæ ipſum recipiãt. Hęc ergo aliaq; ſimilia, cùm ſint protrita, antiquis & recentib. Medicis vſu frequẽtata, an Chymicos à reliquorum Medicorum conſortio longiùs aſpellẽt. Quæ enim illorum duricies alijs non obſtitit,

Margin notes: *2. Epiſt. 49* — *Lib. 5. ca. 97.* — *Li. 7. lit. K.* — *Li. 1. c. 15.* — *Lib. 13. litera C.*